



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. III. De Maronitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

cap. 15. & infra cap. 5. ex Petri Strozæ Disputatione de Chaldæorum dogmatibus.

CAPVT III.

DE MARONITIS.

Maronitæ Pontificis Romani doctrinam constantè obseruant, & Libanum Syriæ montem ferè incolunt. Nonnulli tamen & Damasci, Aleppi atq; in Cypro agunt. Horum omnium Patriarcha sedem habet in monte Libano, in loco, qui dicitur *Chenubin*, siue in cœnobio monachorum ordinis S. Antonij, quod XX. passuum millibus distat à Tripoli Syriæ vrbē, mercatu celebri. Huic suffraganei sunt octo aut nouem Episcopi, vtunturq; linguâ Chaldæâ in sacris, Arabicâ autem vulgariter. Nationis huius Patriarcha, Innocē. III. Pōtifice, Cōc. Lateranensi interfuit. Maronitarum hodie Patriarcha titulum Patriarchæ Antiocheni ambit, allegatq; diplomata à Paulo II. Hadriano VI. alijsq; Pontificibus data. In Hadriani VI. diplomate XXII. die Octobris M.D. XXII. dato sic legitur: *Venerabili Fratri Petro Patriarchæ, sedenti supra sedem Antiochenam.* De his plura vide apud Vitriacum lib. 1. cap. 78. Tyrium lib. 22. cap. 8. & Baronium tom. XII. Annaliū, in fine an. M. C. LXXXII.

Maronitæ habent Romæ Collegium in-
figne, à Gregorio XIII. excitatum ac do-
tatum, quod Patres Soc. Iesu moderan-
tur.

CAPVT IV.

DE NESTORIANIS.

Nestoriani, à Nestorio hæresiarcha
iam olim damnato sic dicti sunt. Est
ea natio, inter Christianas Orienta-
les, longè numerosissima ac copiosissima,
duobus Patriarchis subiecta. Eorum alter,
Babylonis Patriarcha nuncupatus, residere
solet in monasterio S. Hermetis, apud opi-
dum *Musal*, in prouincia Babylonæ; &
fuit is hæctenus schismaticus, vsque ad tem-
pora Pauli V. Papæ, quibus Elias Patriarcha
Babylonis ad communionem Ecclesiæ
Romanæ redijt: vt sequenti capite do-
cebo.

Alter, Assyriorum Orientalium Patriar-
cha nuncupatus, primùm in *Caremet*, postea
in *Zeinalbach*, in confinibus Perfidis, re-
sedit, vbi hodieque residet, potentia ce-
dens Patriarchæ Babylonis. Assyriorum
porrò Orientalium Patriarchæ, iam inde à
temporibus Iulij II. Papæ, fuerunt or-
tho-